



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 83. Vtrum omnis necessitas antecedens, & in inimpedibilis à libero arbitrio auferat libertatem actui, quem necessario infert.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

pacto minorem; & nego consequentiam. In voluntate, qua Deus vult dare reprobis auxilia sufficientia, potest considerari duplex virtualitas. Prima est, per quam Deus per se vult reprobis dare bonum creationis, & alia bona naturalia, & multa bona gratiæ, & bonum sufficientiæ ad consequendam salutem, & vult dare etiam salutem, si per reprobos non steterit, ideoque est paratus dare eadem auxilia, & per ipsa prædestinare, si videret reprobos bene vsurum ijs auxilijs. Secunda virtualitas est, per quam Deus, quia conditionatè videt reprobos abusuros ijs auxilijs, per accidens vult permittere peccatum finale reprobos, eosque in pœnam peccati in æternum damnare. Quilibet prudens vellet se amari voluntate Dei secundum priorem virtualitatem, nollit se amari secundum posteriorem, ideoque voluntas Dei secundum priorem virtualitatem est simpliciter beneuola, secundum posteriorem non est beneuola, sed iuste vult pœnam. Hanc secundam virtualitatem reprobi sibi ipsis imputant, cum possint bene vtendo auxilijs sufficientibus, illam impedire, & indirectè facere, vt Deus dederit illis auxilia sufficientia voluntate habente solum priorem virtualitatem, sine posteriori.

8. Dices primo: vt voluntas illa sit simpliciter beneuola, debet esse beneuola secundum omnes virtualitates cū ipsa identificatas.

9. Respondeo hoc negando. Denominatio enim simpliciter beneuoli desumitur ex ijs, quæ Deus per se vult, non ex ijs, quæ solum per accidens vult, aut permittit.

10. Dices secundo: debet esse beneuola, omnibus pensatis.

11. Respondeo eodem pacto: debet esse beneuola, pensatis omnibus, quæ Deus per se vult, non autem pensatis ijs, quæ solum per accidens vult, aut permittit.

12. Dices tertio: ergo voluntas illa considerata cum omnibus prædicatis, & virtualitatibus, non est beneuola.

13. Respondeo, distingo: non est beneuola beneuolentia formaliter affirmabili de omnibus prædicatis, & formalitatibus, concedo: non est beneuola beneuolentia formaliter affirmabili de prædicatis, & virtualitatibus per se intentis, nego. Aliud est, quod voluntas illa sit formaliter beneuola, consideratis omnibus prædicatis; aliud est, quod sit formaliter beneuola, beneuolentia affirmabili de omnibus prædicatis. Primum est verum, secundum falsum. Sicut enim homo, consideratis omnibus prædicatis essentialibus, differt ab equo, sed non secundum omnia prædicata, siquidem non differt secundum prædicatum animalis, sed solum secundum prædicatum rationalis; sic voluntas illa, consideratis omnibus prædicatis, est simpliciter beneuola, sed non est beneuola formaliter secundum prædicata omnia, sed solum secundum prædicata per se intentia.

14. Ad 2. distingo antecedens. Medicus dans ægroto medicamenta, quibus præuidet ægroto sua culpa non sanandum, sed moriturum, paratus dare eadem medicamenta, si videret ægroto sanandum, & habens iustam rationem non dandi alia medicamenta, cum quibus videt ægroto sanandum, non daret voluntate beneuola, nego; seclusis ijs circumstantijs, concedo: & nego consequentiam. Si medicus daret ægroto medicamenta, præuidens ægroto sanandum, si per ipsum non steterit, & de facto non sanandum culpa ipsius ægroti, & paratus dare, si præuideret ægroto sanandum & habens iustam rationem non dandi alia medicamenta, cum quibus videt ægroto sanandum, daret voluntate beneuola; sed Deus dat cum istis circumstantijs auxilia sufficientia, & habet iustam rationem non dandi alia auxilia, quæ videt efficacia; alioquin non posset permittere vllum peccatum, præsertim mortale, & sic creaturæ rationales essent essentialiter impeccabiles, & incapaces damnationis; ergo Deus dat reprobis auxilia sufficientia voluntate beneuola.

De concordia libertatis humanæ cum diuina Scientia, Voluntate, Prædestinatione, ac Reprobatione.

Q V A E S T I O LXXXIII.

Virum omnis necessitas antecedens, & inimpedibilis à libero arbitrio, auferat libertatem actui, quem necessario infert.

1. **V**idetur non auferre. Primo enim ex dictis quæstione 72. numero 10. hæc veritas: Deus potest per auxilia indifferentia mouere cor hominis ad omnes actus liberos, quos voluerit, est metaphysicè necessaria; sed Deus per scientiam simplicis intelligentiæ antecedenter ad scientiam mediam cognoscit omnes veritates metaphysicè necessarias, ergo Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit se posse per auxilia indifferentia mouere cor hominis ad quoslibet actus liberos, quos voluerit, & ex hac cognitione antecedenter ad scientiam mediam potest facere hoc decretum: Ego volo, vt Petrus liberè conuertatur, cum potentia proxima se non conuertendi, & ideo volo illi dare aliquod ex auxilijs, cum quibus per scientiam mediam videro Petrum liberè conuertendum, cum potentia proxima se non conuertendi; sed hoc decretum cum vellet efficaciter liberam conuersionem, non auferret actui libertatem, alioquin frustraretur se ipsum, & faceret, vt conuersio, quam vult esse liberam, esset non libera; rursus hoc decretum cum esset essentialiter efficax, esset necessitas liberæ conuersionis Petri penitus antecedens, & omnino inimpedibilis à libero arbitrio Petri, quod nullo pacto potest impedire.

dire decretum regulatum à sola scientia simplicis intelligentiæ; ergo aliqua necessitas penitus antecedens, & inimpedibilis à libero arbitrio potest non auferre libertatem actus, quem necessario infert.

2. Secundò Christus per vnionem hypostaticam non impedibilem à libero arbitrio Christi habet necessitatem penitus antecedentem ad non peccandum, & ad seruanda omnia diuina præcepta, præsertim naturalia, puta ad obseruanda præcepta non mentendi, non peierandi, non blasphemandi &c. ergo si omnis necessitas antecedens auferret libertatem actibus, ad quos est necessitas, Christus non liberè, ac non meritoriè. obseruasset præcepta diuina, præsertim naturalia.

3. Tertiò actus liber definitur: *Qui procedit à potentia proxima in differenti*; ergo sicut repugnat, vt aliquid sit animal rationale, & non sit homo, sic repugnat, vt actus voluntatis procedat à principio proximo indifferenti, & tamen non sit liber; sed actus, ad quem detur aliqua necessitas antecedens extrinseca principio proximo, illudque non immutans, potest procedere à principio proximo indifferenti; ergo tunc non potest non esse liber.

4. Respondeo cum pluribus auctoribus Societatis, omnem necessitatem omnino antecedentem, & inimpedibilem à libero arbitrio, auferre libertatem illius actus, quem necessario infert.

5. Probatur primò: nam Aristoteles, & etiam Sancti Patres, vt explicant, quo pacto, licet diuina prouidentia sit necessitas necessario inferens actus præscitos, tamen actus præsciti, e. g. peccata ab æterno præscita à Deo, fiant liberè, docent præscientiam Dei esse necessitatem aliquo pacto consequentem actus præscitos; ergo existimarunt, quod vt necessitas non auferat libertatem, debet esse aliquo pacto consequens actum liberum, & vt loquitur Ruiz disput. 33. de Scientia Dei, sect. 2. Patres videntur hanc doctrinam didicisse ab Aristotele, aut eundem Spiritum, qui per lumen naturæ Aristotelem docuit, docuisse Patres per lumen gratiæ. Probatur antecedens: Aristoteles primo Periherm. cap. 8. vt conciliet præscientiam cum libertate actus præsciti, dicit: *Non enim quia affirmatio dicta est, aut negatio, ideo erit, aut non erit*; ergo per Aristotelem ideo præscientia actus futuri non aufert libertatem, quia non est antecedens, sed potius consequens actum. Iustinus Martyr q. 58. vt explicet, quo pacto Sanctus Petrus liberè negauerit, & Iudas liberè prodiderit Christum, licet Christus præseuerit negationem Petri, & proditorem Iudæ, dicit. *Non causa eius, quod futurum est prænotio, sed quod futurum est prænotio; ita fit, vt non Christus proditorem causa sit, sed proditio causa est Domini prænotio.* Origenes lib. 7. in Epist. ad Rom. in illud capit. 8. *Quos præscinit, & prædestinauit* dicit: *non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum, sed quia futurum est, scitur à Deo, ante quam sit.*

Chrysostomus homil. 60. in Matthæum explicans illud Matthæi 18. *Va mundo à scandalis* dicit: *Non quia futura prædixit, ideoque euenient, sed quoniam omnino euentura erant, id circò prædixit.* Hieronymus in caput. 26. Ieremiæ initio: *Non ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, ideoque futurum est, sed quia futurum est, Deus nouit*; & in cap. 2. Ezechielis: *Non quia illa futura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præscit, sed quia nos propria voluntate sumus facturi, ille nouit futurum, quia Deus est.* August. lib. 5. de Ciuit. cap. 10. *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse præscinit, & concludit, qui si nolit, omnino non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscinit.* Cyrillus in Io. cap. 10. *Quoniam ita nonnulli sponte facturi erant, ideoque præscius futurorum futura prædixit.* Demum Anselmus lib. de concordia præscientiæ, prædestinationis, ac gratiæ cum libero arbitrio totus est in eo, vt ostendat præscientiam, & prædestinationem, licet necessario inferant actus præscitos, & prædestinatos, tamen non auferre actibus libertatem, quia inferunt necessitate non antecedenti, sed consequenti actus liberos, ac proinde euitabili à libero arbitrio, ideoque cap. 1. inter alia dicit. *Has necessitates facit voluntatis libertas, quæ prius, quam sint, eas cauere potest.* Profectò si libertas facit has necessitates, sunt consequentes: si libertas potest illas cauere, sunt necessitates euitabiles, & aliquo pacto impedibiles à libero arbitrio. Et cap. 2. dicit: *Quædam præscita, & prædestinata, non eueniunt ea necessitate, quæ præcedit rem, & facit, sed ea, quæ rem sequitur.* Videri potest Ruiz loco citato.

6. Debet autem aduerti Patres ad conciliandam præscientiam, & prædestinationem cum libertate, non respondere necessitatem, ex præscientia, & prædestinatione esse purè extrinsecam voluntati creatæ, sed esse necessitatem consequentem; ergo ex mente Patrum requiritur, vt omnis necessitas ad actum liberum sit consequens, & non sufficit, vt sit purè extrinseca.

7. Obijcitur Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 13. dicens. *Vniuersas creaturas spirituales, & corporeas, non quia sunt, ideo nouit, sed ideo sunt, quia nouit*; & Gregor. lib. 20. Moralium, cap. 23. dicens: *Quæ sunt, non ab æternitate eius ideo videntur, quia sunt, sed ideo sunt, quia videntur.*

8. Respondet Magister sententiarum in 1. distinct. 38. cap. 3. quod dum dicitur res ideo esse, quia Deus nouit, & videt, accipitur cognitio, & scientia Dei pro scientia simul, & beneplacito, & sensus est: *Res ideo sunt, quia scienti, & videnti placuit ita causas disponere, vt sint*; cum dicitur, quod non ideo Deus videt, & scit futura, quia sunt futura, negatur futura esse causas scientiæ, & visionis diuinæ, quæ scientia, & visio est incausata, ideoque non habet causam: at non negatur futura esse conditionem, sine qua non fuisset à Deo præscita, cum profectò Deus non præscisset futura nobis libera, nisi liberè ponerentur suorum.

tempore; & per modum conditionis. & obiecti materialis determinarent diuinam præscientiam, vt explicauimus q. 43. Eodem pacto explicandus est S. Tho. cum dicit scientiam Dei esse causam rerum.

9. Probatur secundò conclusio: nam actus, à quo voluntas non potest abstinere, proculdubio non est liber; sed voluntas non potest liberè abstinere ab actu, ad quem habet necessitatem omnino antecedentem; ergo &c. Probatur minor: nam neque potest abstinere à tali actu in sensu composito, hoc est coniungendo omissionem talis actus cum necessitate faciendi illum, vt fatentur aduersarij, cum talis coniunctio sit chimerica; neque potest abstinere ab actu in sensu diuiso, ita vt habeat potentiam liberam se diuidendi à necessitate penitus antecedenti, eamque impediendi: alioquin eo ipso talis necessitas non esset omnino antecedens, sed aliquo pacto consequens, & libera; ergo solum potest abstinere ab actu in sensu diuiso, sine potentia se diuidendi; sed potentia abstinendi ab actu in sensu diuiso, sine potentia se diuidendi ab eo, cum quo actus coniungi non potest, non sufficit ad libertatem; ergo &c.

10. Probatur tertio: nam voluntas non est libera ad actum, ad quem habet necessitatem sibi nullo pacto liberam; sed necessitas omnino antecedens nullo pacto est libera voluntati; ergo voluntas non est libera ad actum, ad quem habet necessitatem penitus antecedentem. Rursus voluntas non est libera ad id, quod hic, & nunc est illi impossibile impossibilitate ipsi non libera; sed voluntas habens necessitatem antecedentem ipsi non liberam ad actum A. habet impossibilitatem ipsi non liberam omittendi actum A. necessitas enim vnius contradictorij est impossibilitas alterius, eo pacto, quo necessitas ambulandi est impossibilitas non ambulandi; ergo voluntas habens necessitatem penitus antecedentem non liberam faciendi actum A. nō est libera ad omittendum actum A. sed cum nō est libera ad omittendum actum A. non est libera, sed est necessitata ad faciendum actum A; ergo &c.

11. Probatur quartò. Vt enim voluntas sit libera ad actum A. e. g. debet habere potentiam proximam illum omittendi; sed si habet necessitatem penitus antecedentem ad actum A. non habet potentiam proximam illum omittendi; ergo &c. Probatur minor. Potentia enim proxima constituitur per negationem omnis impedimenti insuperabilis à libero arbitrio: e. g. vt ego possim proximè ambulare, debeo carere omni impedimento à me insuperabili ad ambulandum, si autem habeo aliquod impedimentum à me insuperabile ad ambulandum, possum quidem habere potentiam remotam, non autem proximam ambulandi, siquidem potentia proxima est potentia expedita ab omni impedimento inuincibili; sed si voluntas habet necessitatem penitus antecedentem ad actum A. habet im-

pedimentum insuperabile omittendi actum A. nam necessitas insuperabilis ad vnam partem contradictionis est impedimentum insuperabile alterius; ergo.

11. Vt afferam quintam probationem, suppono tres regulas summulificas traditas ab Aristotele 1. Priorum, & receptas ab omnibus. Prima est: cum antecedens est necessarium, etiam consequens est necessarium. Vt demonstretur, præmittendæ sunt definitiones antecedentis, & consequentis, necessarij, & non necessarij. Antecedens dicitur propositio, ex cuius veritate sequitur necessariò veritas alterius propositionis, ita vt ipsa non possit esse vera, quin altera propositio sit vera. Consequens dicitur propositio, cuius veritas sequitur necessariò ex veritate alterius, ita vt non possit alia propositio esse vera, quin ipsa sit vera. E. g. ex his duabus propositionibus *Petrus est homo; Petrus est animal*, prima est antecedens, secunda est consequens, quia ex veritate istius *Petrus est homo*, sequitur necessariò; ergo *Petrus est animal*.

12. Propositio necessaria dicitur, quæ non potest non esse vera, adeoque pro quolibet casu possibili est vera, qualis est hæc, *homo est animal rationale*. Propositio non necessaria est, quæ potest non esse vera, adeoque pro aliquo casu possibili non est vera, qualis est hæc, *Petrus currit*.

14. His positis, demonstratur regula. Si consequens non est necessarium, pro aliquo casu possibili non est verum, vt dictum est in definitione non necessarij; sed antecedens vt potè necessarium, pro omni casu possibili est verum, vt dictum est in definitione necessarij; ergo pro aliquo casu possibili est verum antecedens, pro quo consequens non est verum, quod est contra definitiones allatas antecedentis, & consequentis, adeoque si stant tales definitiones, stat regula, & si antecedens est necessarium, etiam consequens est necessarium.

15. Secunda regula est: si antecedens est possibile prout opponitur impossibili, hoc est non impossibile, etiam consequens est possibile, hoc est non impossibile. Demonstratur. Possibile enim est, quod pro aliquo casu possibili est verum: impossibile est, quod pro nullo casu possibili est verum; ergo si antecedens est possibile, & consequens impossibile, pro aliquo casu possibili verum esset antecedens, pro quo consequens non esset verum, quod repugnat definitionibus antecedentis, & consequentis.

17. Tertia regula est: si antecedens est possibile prout opponitur necessariò, hoc est contingens, ac potens esse, & non esse, consequens potest esse necessarium. Probatur primò: nam ex hoc antecedenti *Creatura est*, sequitur hoc consequens; ergo *Deus est*, & tamen illud antecedens est contingens, & non necessarium, consequens est necessarium, & non contingens. Probatur secundò: nam ante-

tecedens potest esse falsum, & consequens verum: e.g. si Deus nihil creasset, falsum esset hoc antecedens *creatura est*, & verum esset hoc consequens, *Deus est*; ergo ex eo, quod antecedens ut potest contingens pro aliquo casu possibili esset falsum, consequens ut potest necessarium pro nullo casu possibili esset falsum, non sequitur vllum inconueniens.

18. His positis, probatur quintò conclusio. Nam iuxta primam regulam cum antecedens est absolutè necessarium, & non contingens, etiam consequens est absolutè necessarium, & non contingens; ergo cum antecedens est alicui, puta Petro necessarium, & non liberum, etiam consequens est eidem necessarium, & non liberum; sed si daretur necessitas omnino antecedens conuersionem Petri, puta decretum explicatum in primo argumento, quo Deus antecederet ad scientiam mediam diceret: *Ego volo, ut Petrus conuertatur*, hoc antecedens, *Deus vult, ut Petrus conuertatur*, esset Petro necessarium, & non liberum, & prorsus inimpedibile à Petro; ergo etiam hoc consequens *Petrus conuertitur*, quod necessario sequitur ex illo antecedenti, esset Petro necessarium, & non liberum, adeoque Petrus non liberè, sed necessario conuertetur. Probatur consequentia primi Enthymematis. Sicut necessarium absolutè est, quod pro omni casu possibili est verum, quod autè pro aliquo casu possibili non est verum, non est necessarium absolutè, sed contingens; sic alicui necessarium, & non liberum est, quod pro omni casu illi proximè possibili, & libero, est verum, quod autem pro aliquo casu illi proximè possibili, & non libero, non est verum, non est illi necessarium, sed aliquo pacto liberum. Hoc posito, sic argumentor. Si hoc consequens, *Petrus conuertitur* est Petro non necessarium, sed liberum, potest non esse verum pro aliquo casu Petro proximè possibili, & libero, nimirum pro casu, pro quo nolit conuerti; sed antecedens, nimirum *Deus vult, ut Petrus conuertatur*, ut potest Petro necessariū, est verum pro omni casu Petro proximè possibili, & libero; ergo antecedens potest esse verum pro casu, pro quo consequens non sit verum, quod repugnat definitionibus antecedentis, & consequentis.

19. Dices. Licet quotiescumque possibile est antecedens, possibile sit consequens iuxta secundam regulam, tamen non quotiescumque mihi possibile est antecedens, mihi possibile est consequens; ergo licet iuxta primam regulam quotiescumque necessarium est antecedens, necessarium sit consequens, tamen non quotiescumque mihi necessarium est antecedens, mihi necessarium est consequens. Probatur antecedens. Nam hoc antecedens, *Ego video Solem moueri*, est mihi possibile, & liberum, siquidem claudendo oculos, possum impedire, nè videam motum Solis; sed ex illo antecedenti inferitur hoc consequens; ergo *Sol mouetur*, quod non est mihi possibile, &

liberum, cum non possim impedire motum Solis; ergo &c.

20. Respondeo, distinguo antecedens: licet quotiescumque possibile est antecedens, possibile sit consequens, tamen non quotiescumque possibile mihi est antecedens, possibile mihi est consequens, sumendo possibile, pro non impossibili, ut sumitur in regula, nego; sumendo possibile pro non necessario, hoc est pro contingente, concedo; sed nego suppositum: & nego consequentiam. In illa regula: *cum possibile est antecedens, possibile est consequens*, possibile sumitur pro non impossibili, ac non repugnante. Sumendo possibile in hoc sensu, cum mihi possibile est antecedens, ita ut mihi non repugnet, etiam consequens est mihi possibile, ita ut mihi non repugnet, ideoque ex eo, quod mihi possibile, hoc est non repugnans est videre Solem moueri, legitime inferitur; ergo mihi possibile, hoc est non repugnans est Solem moueri. At si sumatur possibile pro non necessario, seu pro contingenti, potest esse absolutè possibile, hoc est non necessarium, sed contingens antecedens, & non esse possibile, hoc est contingens, sed esse necessarium consequens, ut dictum est in tertia regula; ergo proportionaliter potest esse mihi possibile, hoc est non necessarium, sed contingens, ac liberum antecedens, & tamen consequens non esse mihi possibile, hoc est contingens, ac liberum, sed necessarium; ergo non est mirum, si ex hoc antecedenti mihi possibili, hoc est libero, *video Solem moueri*, inferatur hoc consequens mihi non possibile, hoc est non liberum, sed necessarium; ergo *Sol mouetur*. Hinc argumentum retorquetur. Nam sicut ex eo, quod possibile, hoc est non repugnans est antecedens, inferitur, quod possibile, hoc est non repugnans est consequens, sic ex eo, quod mihi possibile, hoc est mihi non repugnans est antecedens, inferitur, quod mihi possibile, hoc est mihi non repugnans est consequens; ergo sicut ex eo, quod necessarium, & non contingens est antecedens, inferitur, quod necessarium, & non contingens est consequens, sic ex eo, quod mihi necessarium, & non liberum est antecedens, inferitur, quod mihi necessarium, & non liberum est consequens; & sicut ex antecedenti non necessario, sed contingente, & libero potest inferri consequens necessarium, & non contingens, neque liberum, sic ex antecedenti mihi non necessario, sed contingenti, & libero potest inferri consequens mihi necessarium, & non contingens, neque liberum.

21. Concluditur, quod sicut ex antecedenti necessario inferitur consequens necessarium, non solum necessitate consequentiae, sed necessitate consequentis, quæ opponitur contingentiae, sic ex antecedenti alicui necessario inferitur consequens illi necessarium, non necessitate solius consequentiae, sed necessitate consequentis, quæ opponitur libero. Præter

ter quam quod necessitas penitus antecedens cauulat necessarium necessitate non solius consequentia, sed consequentis, quæ opponitur libertati, licet quod inferitur necessario necessitate consequenti, & libera possit esse necessarium necessitate solius consequentia, quæ non opponitur libertati, vt explicabitur quæstione sequenti.

21. Ad 1. concedo Deum per scientiam simplicis intelligentia cognoscere se posse per auxilia indifferentia mouere, & conuertere cor hominis, pro vt voluerit, vt bene probatur in argumento: sed nego posse Deum dependenter ab hac scientia antecederet ad scientiam mediam facere hoc decretum: *Ego volo, vt Petrus liberè conuertatur, cum potentia proxima se non conuertendi*. Impossibilitas huius decreti probatur dupliciter. Primò probatur; nam ex dictis quæst. 63. Deus ad omnia sua decreta debet dirigi à tota sua scientia ipsi non libera: alioquin imprudenter decerneret; sed scientia media est Deo non libera; ergo repugnat Deum aliquod decernere ex sola scientia simplicis intelligentia, independentem à scientia media.

23. Probatur secundò impossibilitas illius decreti. Vt enim bene probatur in argumento, illud decretum esset necessitas antecedens, & inimpedibilis libera conuersionis Petri: sed necessitas antecedens, & inimpedibilis alicuius actus aufert illi actui libertatem, vt probatum est in resolutione quæstionis; ergo illud decretum faceret, vt Petrus conuerteretur simul liberè, & non liberè, & frustraretur se ipsum, siquidè vellet, vt Petrus liberè conuerteretur, & faceret, vt conuerteretur non liberè, quod repugnat.

24. Ad 2. distinguo antecedens: Christus habuit necessitatem omnino antecedentem ad obseruanda diuina præcepta per hunc, vel illum actum, concedo: per hunc actum determinatè, nego: & distinguo consequens; ergo Christus non liberè obseruauit præcepta libertate, qua posset non obseruare, sed transgredi, concedo: libertate, qua posset non obseruare vno actu, sed alio, nego consequentiam, & retorquero argumentum. Christus, quia per vnionem hypostaticam habuit necessitatem antecedentem ad non peccandum, & ad non transgredienda præcepta, non habuit libertatem peccandi, & transgrediendi præcepta; ergo necessitas antecedens aufert libertatem ad id, ad quod est necessitas antecedens. Eatenus verò Christus fuit liber ad obseruanda præcepta per hunc actum, vel alium, quatenus non habuit necessitatem antecedentem ad præcepta obseruanda per hunc actum, sed potuit illa obseruare per alium actum, & omittere hunc actum. Proportionaliter si Deus antecederet ad scientiam mediam decerneret conuersionem Petri, sed non decerneret hanc conuersionem, Petrus posset esse liber ad se conuertendum hac, vel illa conuersione, sed non posset esse liber ad omittendam omnem conuersionem.

25. Ad 3. concedo antecedens, & primam consequentiam, sed nego suppositum antecedentis assumpti. Supponitur enim posse dari necessitatem penitus antecedentem, quæ non immutat principium proximum; hoc autem est falsum. Ratio est, quia ex dictis num. 10. in quarta probatione, principium constituitur proximè liberum ad actum per negationem omnis impedimenti inuincibilis ad omittendum actum; sed necessitas penitus antecedens per se ipsam formaliter aufert hanc negationem, cum sit impedimentum inuincibile ad actum omittendum; ergo.

26. Hinc potest responderi ad interrogationem, qua quæritur, vtrum decretum extrinsecum conuersionis impediatur formaliter, vel radicaliter, & efficienter potentiam proximè liberam se conuertendi? Dico, quod per se ipsum formaliter aufert negationem impedimenti inuincibilis ad omittendam conuersionem, adeoque per se ipsum formaliter impedit potentiam proximè liberam, eo pacto, quo quia lux in aere per se ipsam formaliter aufert priuationem lucis, per se ipsam formaliter impedit tenebrosam, quod constituitur tale per priuationem lucis.

27. Quæres: decretum extrinsecum penitus antecedens conuersionem immutat ne intrinsecè potentiam proximè liberam se conuertendi?

28. Respondeo affirmatiuè, siquidem aufert negationem impedimenti insuperabilis, quæ negatio est vnum ex constitutiuis intrinsecis, & essentialibus potentia proximè libera. Addo, quod fortasse voluntatem ipsam non immutat intrinsecè. Sed aliud est non immutare intrinsecè voluntatem, quæ secundum se præcisè est indifferens ad hoc, vt sit, vel non sit proximè libera; aliud est non immutare intrinsecè potentiam proximè liberam, vt proximè liberam.

29. Dices: voluntas non potest constitui proximè libera per negationem decreti penitus extrinseci voluntati.

30. Respondeo id negando. Communiter admittitur voluntatem constitui proximè liberam per decretum disiunctiuum extrinsecum, quo Deus est paratus concurrere ad plures actus; ergo etiam potest constitui proximè libera per negationem decreti extrinseci voluntati, vt infra magis explicabitur.

QVAESTIO LXXXIV.

Virum necessitas consequens possit auferre libertatem actui, quem necessario infert?

1. Videtur posse. Eadem enim est ratio de necessitate antecedenti, ac de necessitate consequenti; sed necessitas antecedens potest auferre, & de facto semper aufert libertatem actui, ad quem est necessitas antecedens; ergo etiam necessitas consequens.

1i

2. Ref.